

quam cives, quos scio vestrae ditionis atque imperii, quemadmodum semper estis participes, ita nunquam non amantes fuisse, ne desinite, quod semel libentissime fecistis, legem iterum velle jubere, iterum pro vestra in patriam charitate hoc, quidquid est incommodi, alacri animo annum alterum sufferre & perpeti; dum hæc reipublicæ procella decedat, quæ longinqua esse, nisi me meus fallit animus, non potest. confirmate vestris sententiis illud, quod eorum, qui ad gubernacula reipublicæ sunt positi, sententiis optimum esse factu videtis. statuite hoc iudicio, quam cuique charta esse debeat suæ patriæ libertas, cum ipsi vestrae libertatis causa, vestra vitæ præsidia reipublicæ condonetis. ostendite provincialibus, atque iis, qui vestris legibus parent, quid ipsi facere debeant, quando vos, qui ceteros cogere potestis, communis omnium utilitatis causa, leges vobis unis detrimementosas imponitis. Nemo erit hac in urbe, nemo in reliquis, ubi nomen Venetum viget, qui non nos summis laudibus efferat, atque omnibus regendis populis & gentibus dignos putet; cum intelliget, nihil vos muneris aliis præcipere, quin prius alterum tantum, eoque multo amplius, vobismet imperaveritis.

Hac a Lauredano concione habita, ubi ille confedit, lex est ferri cæpta. Erant omnino in comitio iudices mille quadringenti quadraginta duo. ex iis mille octoginta octo legem probaverunt; trecenti quadraginta septem rejecerunt: quibus non liqueret, fuerunt septem. Itaque magno consensu civitatis lege iussa, Lauredanum omnes laudare, bonum esse Principem dicere, cui respublica curæ esset. Postridie autem ejus diei Minius ob concionem seditiosam a Decemviris condemnatus est, ut in Arba Illyrici insula, quoad viveret, exularet, triginta auri libris ei, quicumque illum extra insulam captum magistratibus tradidisset, ex ejus bonis constitutis: eique rei bona sunt pignori addicta: ipsi, ut laqueo vitam finiret, pœna addita. Illis diebus ignominia notam, qua Pisaurus in triremium præfectos quinque usus fuerat, Patres in foro promulgari voluerunt. Ea nota erat ejusmodi: *Dum classem Gallicam*
Pisau-

*Minus da-
mnatur a
Decemvi-
ris.*